

esse novi generis plantam,* media inter Saururum et Phytolaccam. Nequit hæc esse species Phytolaccæ ob numerum, alioquin conjungerentur Ruta et Peganum, Evonymus et Celastrus; non minus peccarem si conjungerem diversa genera, quam si separarem in plura genera generis hujusdem species.

D. Missa dixit Loniceram canadensem adeo exacte referre Linnæam, ut crederet esse ejusdem generis non tantum, sed et speciei; nunc autem novi plantam, Loniceram Gron. Virg. 22. quæ est

CHAMÆDAPHNE, Mitchell Eph. n. cur. vol. octavo app. n. 15.†

CAL. *Perianthia* bina, disjuncta, quadridentata, erecta, eidem germi insidentia.

COR. monopetala, infundibuliformis: *Tube* filiformis; *Limbus* quadripartitus, erectus, acutus.

STAM. *Filamenta* 4, filiformia, erecta, ex intersticiis corollæ. *Antheræ* oblongæ, acutæ.

PIST. *Germen* orbiculatum, didymum, infra receptaculum.

Stylus filiformis, longitudine corollæ, bifidus.

Stigma quadrifidum, patens, magnum.

PER. *Bacca* globosa, bipartita, umbilicis disjunctis.

SEM. singulis loculis 4, rotunda, compressa, callosa.

Hybrida mea ex Verbenâ Veronica duravit per hyemem et incipit nunc stolones e terrâ producere plures, ut nullus dubito quin vivat.

Inclusa mitto folia Suecica ex itinere Scanico de *Calamistro*.

Gloriosam esse speciem *Erythronii* non cogitaveram antea, nec bene novi Erythronium, quod non vidi nisi semel et quidem ante 14 annos. *Gloriosam* esse affinem Uvulariæ, Medeolæ, Asparagi, Smilacis, Tamni, etc. non dubito.

Hasselquistii observationes hac æstate prodibunt. In his etiam habet descriptionem *Mimosæ aculeatæ*, floribus polyandris spicatis, legumine compresso lævi elliptico,‡ Tuæ, ni faller, ejusdem.

Dodonæam Pteleæ accedere stupendum est.

Utinam cresceret ex seminibus tuis *Peltaria Zeilanica*.

Annon vidisti Montii *Aldrovandam*, quæ mira planta est.

Floret nunc in meo horto *Dodecatheon*, planta pulcherrima et amicissima, quæ *Auricula ursi Virginiana*. *Pluk. Phyt.* 79. f. 6 floribus speciosis condecoratur; si accipiam semina, uti nullus dubito, mittam libens, nisi habeas antea. Herba Primulæ, flores Cyclaminis.

* Genus revera novum e *Phytolaccâ dioicâ* institutum, *Pitournia* Moq. in DC. Prodr.

† *Mitchella*, L. Vid. supra; not. † ad p. 216.

‡ *Mimosa Senegal*, L. Sp.